BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Österreich, 12. Jh. Seite 53r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26243
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ueritas noscat seu iusticia ut beatitudo. auctoritas docet maior.

Augustinus in libro confessionum. Ubi inueni te. ut discerem te non in te super me ueritas. Ubique presides omnibus consulentibus te. simulque respondes omnibus etiam diuersa consulentibus. liquide tu respondes. sed non liquide omnes audiunt. Idem. Mens est sic ordinata naturarum ordine. non locorum. ut super illam non sit nisi deus. et ex dei imagine in se tam potens est ut ei cuius imago est ualeat inherere. Idem. Eo ipso mens imago dei est. quo eius capax est. eiusque particeps esse potest. Quod tam magnum bonum non per hoc quod imago eius est non potest. Idem. Ratio est aspectus animi quo per se non per corpus uerum aspicitur. Idem. Si ambo uidemus esse uerum quod dicis. ambo uidemus uerum esse quod dico. ubi quaeso id uidemus. Nec ego in te utique nec tu in me. sed ambo in ipsa quae super mentes nostras est incommutabili ueritate. Cum ergo de ipsa domini dei nostri luce non contendamus. cur de proximi nostri cogitatione contendimus. quam sic uidere non possumus. ut uidetur incommutabilis ueritas. quando si ipse moyses apparuisset nobis. atque dixisset hoc cogitaui. nec sic eam uideremus sed cederemus. Idem. Si tu laudaris uidendo quid facere debeas. cum id non uideas nisi in illo qui est incommutabilis ueritas. quanto magis ille qui et uelle precepit. et posse prebuit. et non impune nolle permisit. Cum audis incommutabilem deum intellege. nichil enim est incommutabile nisi solus deus. cetera omnia sunt mutabilia. Idem. Nec est uis uere diuinitatis. ut creature rationabili iam utenti ratione. non omnino ac penitus abscondi queat. Idem. Fieri potest quod anima interrogata de artibus uera respondeat. ideo quia intelligibilis natura est. et conectitur non solum intelligibilibus uerum etiam immutabilibus rebus. Eo enim ordine facta est. ut cum se ad eas res mouet quibus conexa est. in quantum eas uidet. in tantum de his uera respondeat. Idem. Rationis est iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales sempiternas. quae non super mentem humanam essent. incommutabiles profec

.11.

In libro de sancta trinitate.

In eodem.

In libro de quantitate anime.

In libro confessionum

In libro de libero arbitrio.

In libro de quantitate anime.

In libro de sancta trinitate